SACRA RITUUM CONGREGATIONE

Emo, et Rmo Domino

CARDINALI ODESCALCHO

RELATORE

NUCERINA PAGANORUM

CANONIZATIONIS

B. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SS. Redemptoris
ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum

POSITIO

SUPER DUBIO

An stante approbatione duorum Miraculorum post indultam ab Apostolica Sede eidem Beato venerationem, tuto procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem?

NAPOLI

ROMÆ MDCCCXXIX.

Ex Typographia Rev. Cam. Apostolicæ

Digitized by Google

NUCERINA PAGANORUM

CANONIZATIONIS

B. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum

SUPPLEX LIBELLUS

SUPER DUBIO

An stante approbatione duorum Miraculorum post indultam ab Apostolica Sede eidem Beato venerationem, tuto procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem?

BEATISSIME PATER

1 Quamquam mihi semper Sacri hujusce Senatus conspectus multo jucundissimus, hic autem locus, ubi in dicendis Sanctissimis Ecclesiæ Causis versamur, ob rei dignitatem, munerisque præstantiam amplissimus, ob selectissimorum Judicum doctrinam, religionem, et fidem ornatissimus est visus, SACRATISSIME PRINCEPS, Patresque Conscripti, hodierna tamen die Causam B. ALPHONSI DE LIGORIO postrema vice dicentem, inusitata quadam animi alacritate me affici sentio, propterea quod ea amplum mihi, et Ecclesiæ universæ gratulationis aditum præbeat.

2 Mihi siquidem gaudeo, Deoque immortali, ejusque Beato Famulo debitas reddo grates, quod unus ego ab ipso Sacri Antistitis obitu ad ejus Causæ patrocinium accitus, eam ad postremum Canonizationis fastigium exitumque perduxerim. Rarus oppido eventus, et ob multiplices instituendas quæstiones hactenus inauditus, cujus in tota antiquitate nullum extat exemplum. Illud tamen rarius, ac mirabilius, unde mihi tantus contigit honor, quod Causa omnino nulla, præter hanc, post

Digitized by Google

severiorem disciplinam a Sa: Me: Urbano VIII. indutam, nihilo obstantibus præteriti temporis vicissitudinibus, tam celeri cursu ad metam pervenerit. Rara nimirum, eaque sublimis tanti Viri Sanctitas, tum humano, tum divino testimonio cumulatissime comprobata, nullos novit obices, nullasque temporis moras passa est.

3 Ecclesiæ item maximopere gratulor, quod publica ejus vota de Canonizando Ligorio in eo jam sint, ut quantocyus impleantur. Non unum enim utriusque Siciliæ Regnum a celebri hoc Evangelii Præcone Apostolicis sudoribus irrigatum, sed tota, qua late patet Europa, America, ipsæque Gentes a nobis immensis locorum, mariumque spatiis disjunctissimæ Sacram hujus Antistitis Apotheosim vehementissime exoptant. Nec mirum. Is enim non ad duas Urbes, aut decem, neque ad unam Gentem a Deo missus, sed ad omnem mundum, et hunc variis criminibus oppressum, ut Chrysostomus ait, saluberrimis Scriptis suis Moralibus, Asceticis, Dogmaticis, celesti doctrina, pietateque refertis, et ab Apostolica Sede jamdiu approbatis, tum omnium, tum singulorum hominum æternæ saluti, et utilitati prospexit. Nulla enim fuit Fidelium conditio, cui ipse sua scripta non accomodaverit. Iis quippe prospexit pueris, Adolescentibus, puellis, Regularibus, Monialibus, Clericis, Presbyteris, Confessariis, Parochis, Episcopis, Principibus, Agentibus animam, Capite damnatis, Conscientiæ angustia sollicitis, singulisque hominibus, tum ad Religionem tectam, sartamque tuendam, tum ad æternam salutem assequendam. Per hos profecto libros Alphonsus Beatus, licet mortali vita functus, adhuc tamen per Mundum universum æternam proximorum salutem operatur, adhuc legentium animos ad Dei amorem, suaque obeunda munera accendit, adhuc multiplicem, et uberem quotidie messem in mystico Ecclesiæ agro abundantissime colligit; ita ut Sa: Me: *Pius VII.* in Apostolicis Literis datis *die VI. Septembris* 1816., quibus eidem Beatorum cultum indulsit, mirabundus exclamaverit. = *Sane MIRUM, QUOT DEVIOS AD RECTUM TRAMITEM, ac etiam ad Christianam perfectionem verbo, exemplo, ac MULTIPLICIBUS SCRIPTIS ADDUXERIT!*

4 Ejus autem nominis notionem, Populorum devotio sequitur. Hinc post indultam Sacro Antistiti venerationem, certis tamen locis circumscriptam, Nationes, Ecclesiæ, Diœceses, hominumque cœtus, numero propemodum infiniti, avidissime exoptarunt et ipsos thura adolere posse Alphonso, eidem Aras erigere, ejusque Festum concelebrare, idque cum nonnisi Sanctis concessum intelligerent, Deum enixe deprecati, ut quantocyus per solemnem hujusce Christiani Herois Canonizationem, illius cultus ad universam extendatur Ecclesiam (a).

5 Rumpe igitur moras, *PIE PONTIFEX MAXIME*, totiusque Ecclesiæ imple vota, adauge lætitiam, et Apostolica auctoritate

(a) *Ex Litteris Postulatoriis exhibitis in Causæ Reassumptione ad Canonizationem.*

mte decerne *TUTO procedi posse ad solemnem B. Alphonsi Cononizationem*; quemadmodum Beatissimis Tuis Pedibus obvoluta Congregatio *SSmi Redemptoris* ab eodem instituta per ejus Procuratorem Generalem, Causæque Postulatorem *P. Josephum Mariam Maulone* nobiscum una humillime, submisseque precatur.

6. Nihil revera impedimenti superest, quin ita decernas. Si enim *duo requiruntur Miracula post Beatificationem sequuta*, ceu sancivit Benedictus XIV. Decreto lato *die 17. Julii 1854. TU* Ipse, *PATER BEATISSIME*, de eisdem nuper constare edixisti *Sum. num. Unic.*

7. Quod si in Beatorum Canonizatione maxima *adest materia spiritualis lætitiæ*, propterea quod *Fides exaltatur Catholica*, *et magna obvenit Fidelium utilitas*; uti advertit Benedictus XIV. *Lib. 1. Cap. 13. §. 3. ad 10.*; majore certe gaudio, lætitiaque afficietur Ecclesia in Beati Ligorii Canonizatione, cujus gesta, atque Sanctitas non uni, vel alteri Nationi, uti de cæteris Sanctis evenit, nota sunt, sed per ejus Opera in omnes omnino Gentes, Nationes, et Regna pervulgata. Maximam denique utilitatem inde obventuram graviter exposuit Gl. Me: *utriusque Siciliæ Rex Ferdinandus IV*, in sua Postulatoria ad Sa: Me: Pium VI. data Anno 1794. = ibi = *E' vero, che la memoria di Monsignor Liguori vive in benedizione, e rispetto di ognuno ed il suo zelo vive, e viverà sempre nelle edificantissime sue Opere di Morale, e di Cristiana Pietà, e nei degni Figli, e Seguaci del suo Istituto; MA SARA' SEMPRE DI MAGGIOR EDIFICAZIONE AI FEDELI, E DI GLORIA DI DIO l'esterna Esaltazione del suo Servo per imitazione, e conforto alla presente generazione, che lo ha veduto fra lei vivere, ed operare, ed alle Generazioni venture, che avranno un nuovo Lume acceso nella Casa del Signore collocato altamente, e venerato nella Cattolica Chiesa.*

Quare etc.

Hyacinthus Amicius Advocatus
Angelus Picchioni

R E V I S A

A. M. Fratini S.R.C. Assess. Fidei Sub-Promotor.

SUMMARIUM
DECRETUM
NUCERINA PAGANORUM
CANONIZATIONIS
B. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum.

SUPER DUBIO

An, et de quibus Miraculis constet post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem in casu, et ad effectum, de quo agitur?

Num. Unic. *Approbatio duorum Miraculorum ad Canonizationem.*

BEATO ALPHONSO MARIÆ DE LIGORIO dedit scientiam sanctorum Deus, et honestavit illum in laboribus, qui, susceepta clericali via a floridis annis usque ad extremam senectam, assiduis sermonibus plebem in divinis præceptis erudire studuit, nec non, saluberrimis elucubratis libris, fidelium animos ad fallacis sæculi contemptum atqua æternæ gloriæ amorem accendere. Quo in operoso vitæ genere, adsciitis sibi sociis, novæ Congregationis a SSmo Redemptore nuncupatæ initium posuit. His ejus curis pastorali addito munere, Præsulum exemplar eximiis virtutibus excelluit, quibus magis magisque Deo dilectum edita post pretiosam mortem miracula ostenderunt, ita ut ocyus ad aras evehi meruerit.

Hujus Beati Viri Nomen tum præclaris gestis, tum volumibus ipsius pietate et doctrina refertis ubique gentium diffusum, et in adversis invocatum periclitantibus contulisse opem, ac sanitatem enunciabatur novis patratis miraculis vix ab Ecclesia Beatorum cultum, et insignia eidem decreta fuerant; Quod equidem veneratum Antistitem sublimius inter Cœlites extollendum portendebat.

Quamobrem Congregatio SSmi Redemptoris, quæ B. ALPHONSUM fundatorem gloriatur, ex pluribus illius miraraculis post indultam venerationem duo præsertim exhibuit congruis testimoniis roborata, quæ consuetum subirent examen in Sacrorum Rituum Congregatione, ut juxta Summorum Pontificum Constitutiones ad ipsius Beati solemnem canonizationem via sterneretur.

Ter

Ter ideo de more duo illa miracula expensa fuerunt accuratissime, atque discussa: scilicet habito antea conventu in ædibus Rmi Cardinalis Odescalchi relatoris quartodecimo Kalendas Septembris anni superioris 1828. Deinde Nonis Julii vertentis anni 1829 in Palatio Apostolico Quirinali ante Rmos Cardinales Sacris Ritibus tuendis addictos. Tandem decimo Kalendas Octobris proxime elapsi coram SSmo Domino Nostro PAPA PIO VIII. in eodem Quirinali Palatio, ubi convenerunt Rmi Cardinales, ac Sacrorum Rituum Consultores; Ipsaque duo proposita miracula approbari posse affirmarunt.

Cum sacrum id generis judicium in suo conspectu primum habitum valde gratum obvenisset SSmo Domino, Patrum suffragia libenter percepit, at juxta Prædecessorum suorum consuetudinem distulit supremam edere sententiam: benignis interim verbis admonens omnes multa adhuc prece implorandum esse Divini Spiritus lumen in re tanti ponderis definienda.

Ineunte autem Adventus tempore, quo potissimum B. ALPHONSUS flagrantia populo verba faciebat ad viam Domini parandam moras omnes abrumpere, animumque suum pandere dignatus est SSmus Dominus. Hoc itaque festo die S. Francisci Xaverii, cujus sibi nomen inditum in sacro fonte, et cujus fuerat B. ALPHONSUS imitator egregius in Apostolico Ministerio, accedens ad Societatis Jesu primarium templum, in ara Indiarum Apostolo dicata, Sacris propitiato Deo, adstantibus ibidem Rmis Cardinalibus Julio Maria De Somalea Episcopo Ostiensi, et Veliterno S. R. C. Præfecto, et Carolo Odescalchi caussae relatore, nec non R. P. Virgilio Pescetelli S. Fidei Promotore, atque infrascripto me Secretario rite pronunciavit: Constare de duobus miraculis, de quorum primo in secundo genere scilicet = *Subitæ perfectæque sanationis Antoniæ Tarzia gravi pondere in præcipiti lapsu oppressæ a lethali abdominis contusione, atque intestinorum læsione, viribus illico restitutis* = ac de altero in tertio genere nempe = *Instantaneæ perfectæque sanationis Fr. Petri Canali Laici Professi Congregationis Camaldulensium ab ulcere fistuloso, sinuoso, calloso, et carioso, in sterno.*

Atque hujusmodi decretum evulgari, et in acta Sacrosum Rituum Congregationis referri jussit. Tertio Nonas Decembris Anni MDCCCXXIX.

JULIUS MARIA CARD. Episcopus Ostien. ac Velitrensis S.R.C. Præfectus etc.

Loco ✠ Sigilli

Joseph Gaspar Fatati S. R. C. Secretarius

REVISA

A. M. Frattini S.R.C. Assessor et Fidei Sub-Prom.

NUCERINA PAGANORUM

CANONIZATIONIS

B. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum

---

ADNOTATIONES

R. P. FIDEI PROMOTORIS

SUPER DUBIO

An stante approbatione duorum Miraculorum post indultam ab Apostolica Sede eidem Beato venerationem, tuto procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem?

BEATISSIME PATER

1 Solemni Sanctitatis Vestræ Decreto nuper edito, et in acta S. R. C. relato *Tertio Nonas labentis Decembris* duo nova miracula probata sunt, quibus, Beatorum Fastis adscriptus postquam solemni ritu fuit V. S. Dei Alphonsus Maria de Ligorio, testatam Deus Optimus Maximus ejus fecit Sanctitatem. Quamvis autem, qualis gravitas judicii est facultas adhuc sit, si quid restet scrupuli, severius animadvertendi, fatendum tamen in casu profitendumque mihi est, severiores post plures, riteque habitas totius rei disquisitiones nihil quidquam occurrere quod valeat opponi, cum de eo agatur Beato Viro, quem ex ipso Sanct. Vestræ Decreto habemus scientia Sanctorum a Deo